

Oratio anniversaria, recitata in theatro anatomico inclyti Medicorum Lond. Collegii, in commemorationem beneficiorum a ... Harveo aliisque ... praestitorum / [Walter Charleton].

Contributors

Charleton, Walter, 1619-1707.
Royal College of Physicians of London.

Publication/Creation

Londini : S. Smith & B. Walford, 1705.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/yygvaww7>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



18233/B

from A

Bay 160





Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30505410>

Oratio Anniverfaria,

Recitata in

THEATRO ANATOMICO

I N C L Y T I

Medicorum Lond. Collegii,

I N

Commemorationem Beneficiorum à D^{no}
D^{re} HARVEO, aliisq; munificis Viris &
Fœminis eidem Collegio præstitorum,

A GUALTERO CHARLETONO, ejusdem Collegii
Socio; 16 die Augufti, An. Dom. 1705. Ætatis
fuæ 85.



Geo:

LONDINI,

Louyon

Prostant apud SAM. SMITH & BENJ. WALFORD,
Regiæ Societatis Typographos, ad Insignia Prin-
cipis in Cœmeterio D. Pauli. M DCC V.



Amplissime, Consultissimeq;

PRÆSES,

Collegæ ornatissimi,

&

*Quotquot heic glomerati estis
Viri spectabiles.*

Auspicatò, summoque Numine (ut credere fas est) propitio, huc nunc convenistis, *Collegæ ornatissimi*: *Gratis* quippe nobis hodie litandum est, & *Amicitie*. Advenit enim, anno jam ad exitum properante, festus ille dies, quo hominum collatis in magnificum hoc Sophiae templum beneficiis clarorum memoriam, pro annuo more, solenniter recolere debemus. Id scilicet prudentissimum summi illius Viri Doctoris HARVEI, cujus nomen tanquam indulgentissimi Pa-

tris colimus & veneramur, institutum à nobis exigit. Exigit etiam ipsemet hic *locus*, in quo nunc tam commodè, tam decorè confidemus: Imo *gratitudo* ipsa, *Themidis* filia, exigit. Neque enim aliter fieri potest, ut ea, qua par est, celebritate, nostro defungamur officio, nisi *Mecænatum* nostrorum eximia in nobilissimum isthoc Philosophiæ sacrarium merita, & laudes, grata commemoratione, nec prorsus indignis præconiis, in luce populi, recognoscendo. Quid enim claros Viros vita defunctos à posteris optare, atque expetere credamus, quàm ut id ipsum illis, quo nos maximè delectamur, tribuamus: nimirum ut eos illustri memoria, ac recordatione decoremus? Hæc autem gloria est, & assidua illorum virtutis recordatio. Quam si sermone, laudationeque nostra immortalem efficere liceat; hoc uno de mortuis nos vel optimè meritos existimare possemus.

At verò inauspicatò & mihi, vobisque, *Doctissimi Auditores*, nescio qua fatorum inclementia contigit, ut iterum in me revolutum sit grave illud heic publicè orandi saxum, contra salebrosum Aristarchorum clivum denuò volvendum. Arduum sanè opus, viribusque meis dudum jam fatiscentibus longè impar. Sed Consultissimi *Præsidis* imperio haudquaquam obnitendum.

Egregiè utique *Cælius Rhodiginus* dicam, an *Patavinus*? de *Alcibiadis* concionari metuentis verecundia differens, Quàm formidolosum sit, inquit, habendæ orationis causâ, in concionem prodire, multorum, opinor, exemplis abundè innotuisse: quando populi conspectum non ferentes plerique, metu perfusi, ac rubore inexpugnabili, capite convelato,

raptim

raptim se proripientes inde, domesticas petiere latebras; nonnulli etiam perculsi vehementiùs, silentium sibi indixere perpetuum. Et unicum illud Declamatoriæ artis exemplum, *Porcium Latronem*, cum pro reo in Hispania *Porcio Rustico*, propinquo suo, diceret, usque eo confusum refert *Marcus Annæus Seneca*, (& ipse sæculi sui Oratorum facilè princeps,) ut à solœcismo inciperet; nec ante potuissè confirmari, quàm judicium ex foro in basilicam transferretur. Estque sanè quòd credamus, illi non accidissè hoc ab infirmitate mentis, ast à rei duntaxat novitate, quæ inexercitatos etsi non concutit, movet tamen, & aliquantò turbat naturali in hujusmodi consternationem facilitate corporis pronos.

Vereor igitur equidem, ne mihi quoque idem contingat animi stupor, ex hoc loco hodie apud vos (*Viri sapientiæ atque honorum insignibus illustres*) dicturo. Quo enim cunque me verto, argumenta tenuitatis meæ video: nec ad rationem & calculos omnia facile est revocare, quæ animum vix sibi constantem certo de statu dejiciunt. Scilicet ex repentinæ illius, qua jam perculsum me sentio, formidinis causis, aliæ non aliundè quàm ab imperfectiorum propriarum conscientia proveniunt: alias verò mihi suggerit *Dignitas vestra*, summaque, quam vobis debeo, observantia. Ex eis igitur, quæ in utroque genere occurrunt, liceat mihi precor pauculas seligere, atque in medium afferre singulatim: ut vobis demum certiùs constet, quàm imparem me judicem difficillimæ huic, quam indulgentissimi Præsidis jussu, vestroque potissimùm fretus favore, suscipere aggredior, Provinciæ; quantumque juris habeam, ad benignitatis vestræ subsidium, sicubi expectationi non satisfecero, impetrandum. In

In *meipsum* respiciens, nihil (profiteor) nisi homunculum cerno, suapte naturâ curiosum quidem, & industrium, scientiæque, à prima usque pueritia, cupidissimum: sed perquam exiguis ingenii præstidiis munitum, sed *Democriti* patria dignum, sed cui quæ didicit omnia statim excidunt, sed gravissimis afflictum infortuniis, sed in Rhetorum scholis hospitem, sed cujus viriditatem senectus dudum jam abstulit, & (ut verbo expediam) opinione hominum longè minorem. His insuper nævis (quos, si Mathematicus essem, minimè dubitarem infauis quibusdam astrorum nativitati meæ malignis aspectibus invidentium influentiis adscribere) diuturnus raptim ac festinanter quæque scribendi usus, cum ardore quodam cogitandi conjunctus, stilum adjecit simplicem, incomptum, asperum, crebris hiatibus interruptum, afferentemque legentibus obicem subinde ac moram; ut vix sibi temperare possint, quin malè scriptoris infelicitati dicant, qui ipsos iis senticetis nequicquam induerit. Videtis itaque, *Auditores* (omnium certè quotquot unquam Philosophiæ sacris operati sunt, perspicacissimi;) Videtis, inquam, quàm sim ineptus huic muneri, ad quod ab optimo Collegii hujus Moderatore designatus fui, cum laude ac dignitate obeundo.

Dum verò, mei ipsius absoluto examine, oculos & animum, ea qua par est observantia, in vos, *Viri eruditissimi*, converto; novis me terroribus undique obsessum sentio: vixque refrænare possum, quin prorsus, abjectâ illâ, quam partim à speratis literarum auxiliis, partim ex sincera Genii mei adversum vos devotione concepi, fiduciâ, desperationi succumbam. Hinc terret me *perspicacitas vestra*, quæ
 tanta

tanta est, ut quæcunque ex hac sede dicenda habeam, solenni hac occasione, anticipetis stupenda quadam prolepsi: à qua quantum infelicitè defecerit, tantum necesse est, infra rem, legesque decori cadat vel elaboratissima cujuscunque oratio. Illinc *spes* & *expectatio*, quam, pro eximia humanitate vestra, de me concepistis, vehementer terret: parumque abest, quin ego conquerar de invidiosis illis exquisitæ eruditionis attributis, quibus vestro ex numero nonnullis placuit, exilitatem meam onerare. Nam in meis profectò facultatibus, quales quales sunt, omnino nihil est, quo aut horum respondeam opinioni, aut expleam animos invidentium. Neque etiam magis ideo me singulariter literis excultum existimo, quàm formosum putarem, si imaginem meam exigeretis. Indulgentiæ vestræ scio id esse, non judicii: & si modò judicii est, indulgentia vobis imposuit. Nil mirum igitur, si quid hac potissimum solennitate proloqui debeam, planè nescio: adeo verum est illud *Taciti* effatum, *Pavidis consilia in incerto sunt*.

Cæterum jacta est alea: & Rubicon audacter transmittendus. Heicque opportunè *Cynthius* aurem vellit, & admonet, pensi mihi hodie injuncti duas præcipuè partes esse: *unam* scilicet ut *Medicinæ* præstantia demonstretur; ut *Heroum* illorum, qui inclytum hocce Collegium arctissimo beneficiorum vinculo sibi obstrinxere, nomina & virtutes haud indignis celebrentur elogiis, *alteram*.

De *priori* equidem olim ex ipso hoc suggesto copiosè disserui; quamplurimis rationibus, fidemque cogentibus argumentis evincens, ut à remotissima usque antiquitate suam artium omnium præstantissima, *Medicina* deduxerit originem; quàm sit cunctis

mor-

mortalibus necessaria & utilis ; quàm illustres haberit omni ab ævo cultores ; quanto in honore apud gentes omnium sapientissimas, nobilissimasque habitata fuerit ; quantis eam præconiis ipsa summi Numinis oracula cumulaverint ; quot denique singularibus privilegiis, immunitatibus, donariis, honorificis eminentiæ insignibus, aliisque peculiaris gratiæ ac favoris testimoniis, Medicinæ Professores colere atque exornare dignati sunt, qui amplissima imperia feliciter diuque sustinuerunt. Quibus nunc, auctarii loco, adjicere visum est cœlestis illius Archiatri, Domini-que nostri J E S U C H R I S T I divinam auctoritatem. Qui ex intemeratæ quidem Virginis utero in hanc lucem ingressus, sed ita ingressus, ut nec Deitati aliquid discesserit, quam conservavit, nec Humanitati quidquam defuerit, quam assumpsit ; idem scilicet cum Deo, quamvis alius à Patre : & in quo hoc quoque est divinitatis, quòd cum Deo ineffabili conjunctione jungitur humanitas. Hic nempe *Μεσίτης* *ὁ Θεὸς καὶ ἁνθρώπων*, sepositâ ad tempus divinæ Majestatis gloriâ, beatissimique Patris sinu sponte relicto, in hanc miseriarum dolorumque vallem eo tantum consilio descendit, ut hominum vitiis simul mederetur & morbis. Idem totius mundi Sospitator religiosissimè ab aulis Magnatum, ab artibus Politicorum, à Magistratuum negotiis, à Rabbitorum mysteriis, à Pontificum consiliis, à Jurisperitorum litibus, ab intercessionibus Advocatorum, à Judicum officiis se abstinent : principem tamen inter Medicos locum obtinere, neque nomini suo, neque officio inglorium existimavit. Variis quidem quamplurimisque miraculis suam ubique demonstravit Divinitatem : nullis tamen certius, quàm à nativitate cæcis visum, surdis auditum,

auditum, loquelam mutis, claudis pedes, paralyticis nervorum robur, lepra foedatis decorem, febrium incendio adustis refrigerium, sanitatem conclamatis, demortuis jam & quatrduo sepultis vitam restituendo. Suos numeret *Aesculapius* clientes, suos recenseat *Hippocrates*, suos enarret *Galenus*; referant quibus medicamentis, qua methodo, quo salutare praescripto Pestem, Febres, Epilepsiam, Paralyfin, aliosque id genus contumacissimos morbos expugnant: nihil sanè dixerint, nihil egerint, sua si narret in hoc genere admirabilia opera *Servator* ille, *Medicusque* hominum CHRISTUS. Qui & ipse quam exercuerat artem, omnibus malè habentibus voluit esse commendatissimam, cum inquit, *iis qui valent, non opus est medico, sed iis qui malè affecti sunt.* Quod unum ipsius *Veritatis* oraculum, si aliud nil à nobis adferri in Medicinæ patrocinium posset, esset profecto per se satis, ad perpetuum iis omnibus, qui ejus dignitati quomodocunque detractum eunt, indicendum silentium. Videtis itaque, *Auditores Humanissimi*, ut ipsa *Dei sapientia*, ne quid demum justissimo divinæ artis praesidio deesset, eandem suo & exemplo illustraverit & doctrina: & ita videtis, confido, ut me priorem pensî mei partem haud indiligenter absolvisse censeatis.

Verùm antequam ad *Posteriorem* progrediar, ingens ille, quem in animo meo nobilissimæ hujus Artis causâ concepi, dolor calamum sistit, meque hîc paulisper vestigia premere cogit. Nunc enim perverfam videtur fortuna rationem instituisse, ut Professio nostra vilescat indies, & minoris fiat. Estque proh dolor! quod Medicinæ metuamus, ne hujus intra sæculi decursu, usque eo in discrimen existi-

mationis veniat, ut indigna habeatur, cui Viri sive natalibus ingenui, sive egregiis ingenii dotibus ornati, se totos addicant, devoveantque. Diu namque jam est, quòd haud parum de pristina sua estimatione, non solùm apud ventosam plebem, verùm etiam Magnates, Satrapas, summisque rebus Præpositos perdidit: indies magis magisque tanquam impellente fato, declinans ad occasum. Hocque alia nulla de causa, nisi ex ingenti numero & inscitiâ, vilitateque (ne quid acerbius dicam) eorum, qui scientiæ orgiis nunquam ritè initiati, sacris tamen operari non erubescunt; quique neglectâ morborum per causas naturales cognitione dignotioneque Ἐμπειρίαν solam temerè dicam, an impiè consecretantur; atque ut *Plinius* (lib. 26. cap. 1.) verissimè, *discunt periculis concivium, ac per experimenta impunè mortes agunt*. Hodie scilicet si unquam (quod nulli non honesto pectore mœrorem inurere debet acerbissimum) ejusmodi *Receptariorum, Agyrtarum, Circumforaneorum, Veneficorum* omnia plena.

*Fingit se Medicum quisquis, idiota, profanus,
Judæus, monachus, histrio, rasor, anus.*

Nihil dixisti, Satyrice; medicos se fingunt quoque *Rizotomi, Seplasiarii, sordidi Balneatores, triobolares Phlebotomatores, Spurcidici Lenones, indocti parochiarum Sacrificuli, Chymistæ carboniperdes, audaculi Edentatores, impudentissimi Uromantes, veteratores Fatidici, libidinosa Obstetrices, Teledæcæ, & præ cæteris omnibus perfida illa, ingratißimaque impostorum gens, Pharmacopolæ; qui sunt in Rep. ægrorum pernicies, rei medicæ calamitas, & libitinæ præsides.*

præsides. His tamen Σκατοράζου, catasta, loris, & equuleo dignis, Magistratus importuna utique, & non solum proletariis, & capite tantum censis, sed ampliores fortunæ hominibus, imò sibi met etiam ipsis interdum exitiali lenitate, parcunt: neque ulla in eos pœna in Rebusp. constituta est (ut olim graviter conquestus est *Hippocrates Magnus*, in Νόμῳ) præterquam ignominia. Quæ nihil afficit, neque contingit eos, qui ex composito Medici personam induerunt. Ut nos, gravissima de causa, cum *Marcello Palingenio* exclamemus,

O miserae leges! quæ talia crimina fertis.

O cæci Reges! qui rem non cernitis istam.

Vos quibus imperium, qui mundi fræna tenetis,

Ne tantum tolerate nefas, hanc tollite pestem.

Interest enim generis humani, ut procul arceantur ab omnium nobilissimæ artium exercitio, qui eam ne à limine quidem salutârunt; sed civium valetudinem quæstui habent, debitumque medendi fructum aliis sceleratè præripiunt, qui ab ineunte usque ætate in eadem addiscenda operæ plurimum, ingentesq; sumptus fecere. Quid namque *crudelius* est, quàm imperito, & quicquid usquam concipitur nefas, lucelli causâ, ausuro Agyrtae bonos cives tradere impunè occidendos? Quid *iniquius*, quàm sublatâ munerum, dignitatum, graduum, meritorum, personarum distinctione, profanis sacra, ignavis generosa, ardua indoctis, subtilia idiotis, honesta impuris, omnibus omnia licentissimè, & cum impunitate permittere? Quid denique Reip. *periculosius*, quàm iusta, & divinis pariter atque humanis legibus con-

sentanea, omnique ab ævo à tot viris prudentia simul & imperio illustribus solenniter sancita Medicorum Privilegia, quibus, tanquam fixis publica auctoritate terminis, olim distincti fuerunt, & ab Empiricorum invasione defensi, violare; ad liberalis contemptum eruditionis, indeque necessario succrescentis barbariei inductionem? At eheu! frustra fatis obnitimur: nimiumque jam dolori indulsimus nil tandem profuturo.

Veniamus itaque ad lætiores muneris mei partem, gratam nempe commemorationem eorum Benefactorum, *qui sui memores Medicos fecere merendo*. Ex his, quorum dies hic dicatus est memoriæ, alii, suo quisque tempore, pridem ex humanis demigrarunt: *alios* Cœlitum indulgentia in vivis adhuc florentes conservat, in maiorem Reip. huiusque Collegii felicitatem.

Defunctorum in albo principem sibi locum jure merito vendicat Augustissimus Fundator HENRICUS octavus, Regum sæculi sui Maximus; qui omnia in imperio habuit, præter suimet ipsius imperium: cuiusque in heroicum pectus animum fata infuderant tam sublimi fortunæ parem, præditumque eis virtutibus, quas nil nisi nimia felicitas unquam potuisset obscurare; qui denique armis non acrior sceptri vindex fuit, quàm in pace salutis singulorum. Quem in finem, *Caii, Linacrique*, Medicorum suorum suasu, ipsum hoc Regale Collegium sapientissimè instituit, multisque simul regię gratiæ insignibus, privilegiis ac immunitatibus honorificè munivit: probè sibi conscius, eo se instituto, & civium incolumitati, sui que nominis immortalitati optimè consulere.

Huic succedit filiarum, quas omnino duas reliquerat, natu major MARIA, & deinde altera, *Sceptra loci rerumque capit moderamen* ELISA : quarum utraque novis in idem Collegium beneficiis copiosè collatis, ostendit, se non regni tantùm, sed regii etiam erga legitimos Medicinæ Professores affectus hæreditatem sibi relictam adiisse.

Hoc Reginarum par immediatè consequitur JACOBUS, tum ejus nominis, tum Britanniarum primus Monarcha; qui sapientiæ gloria, pacisque artibus adeo excelluit, ut æmulis ex Regibus nonnulli ei *Secundi Salomonis*, hoc est *Pacifici* agnomen affixerint.

Hunc excipit filius CAROLUS primus, Dominus meus quondam Clementissimus ; qui tam innocenter vixit, tam justè regnavit, tam sanctè finivit (gloriosissimo Martyrio, à proditoribus nefariis, & plusquam Molossicæ feritatis regicidis immaniter irrogato, cœlis tandem redditus) ut Principum ætatis suæ *Christianissimus* æternùm audire mereatur.

Quem inermem timuerunt arma,

Armata necavit toga.

Civibus cessit Carolus cæsus.

Serò cognitum luxit Patria :

Viventem, hostem ; mortuum vocavit Patrem,

Parricidium confessa, cum Patrem dixit.

Jam conjuratæ prodest injuria dextræ,

Magnum, quem voluit perdere, Roma facit.

Sanctissimus hic Princeps, omnium literatorum Patronus, nullum gratiæ genus aut studii, quo Collegii hujus dignitatem ac privilegia vel tueretur, vel augeret, prætermisit unquam. Divos

Divos hosce Britannicos consequitur, ex regio quoque sanguine oriunda, *Arabella Stuarda*, *Caroli* ejusdem nominis, *Lennoxiae* Comitissae, filia unica, quæ supra sexum ita optimarum literarum studia est amplexa, ut ad veram virtutem summa cum laude sibi profuerit, & cum illustribus prisca sæculi foeminis sit conferenda, teste *Camdeno*.

Recensitis proximè nominibus succedunt alia purpuratis etiam adnumeranda, nec sine ingratitudinis nota nobis nunc silenda, nimirum *Caldwellus*, è Colleg. *Ænei Nasi* Oxoniens. M. D. qui ut de Rep. benè mereretur (adscito in partem honoris Barone *Lumleio*) lectionem Chirurgicam honesto salario in hoc Collegio instituit; cujusque memoriam eo nomine celebrat idem *Camdenus* in Annal. Anglic. pag. 390. Item *Linacer*, *Atkinsius*, *Gulstonus*, *Foxius*, *Readus*, *Meverellus*, *Pagettus*, *Langhamus*, *Bidgoodus*; qui omnes fuerunt Collegii hujus splendidissima quondam ornamenta, artisque Hippocraticæ exercitio clarissimi.

Hac in classe memorandi quoque veniunt *HARVEUS* atque *HAMÆUS*; quos sine tacita veneratione numquam nominare potui, quorumque utrique ingentes ex auro imagines debentur.

Scilicet *Harvei* nomen, non cujusdam de trivio Philosophi sed Anatomicorum Principis, imò ipsius sapientiæ nomen est: ejusque ingentia in Remp. literariam merita, tacentibus etiam nobis, ultrò emicant, omniumque vel invidentium oculos sua luce præstringunt, rapiuntque in admirationem quicquid est in universa Europa Eruditorum. Tempestivè à benigniore natura hoc sæculo productum, inque Scientiæ naturalis orbe collocatum fuisse splendidissimum

mum isthoc medicinæ sydus videtur; ut lucidis doctrinæ suæ radiis, & veterum Philosophorum errores detegeret, simulque rectiorem per experimenta anatomica philosophandi viam ostenderet futuris. Quippe in rerum universitate nil tam sublime est, quod à vastissimo ejus *intellectu* non comprehenderetur: tam humile nil, quod insatiabilem effugeret *curiositatem*. Nos utique lusciosi homunculi, densissimis difficultatum senticetis altius implicati, per longas syllogismorum ambages, per circulos disputationum in se semper redeuntium, veritatem anxie confectamur, & plerumque *Junonis* loco, evanidas amplectimur conjecturarum opinionumque nubes. *Harveo*, cogitare & scire, quærere ac invenire, idem fuit: & certè nihil quod scitu dignum existimasset, reliquit intactum. Hujus admirandæ sagacitatis documenta existunt, Vitalis ille, orbiumque cœlestium æmulus *motus*, quo animalium *sanguis*, universum circumfluens corpus, & ad cor, è quo, ceu fonte suo, primùm profluxerat, iterum iterumque rediens, in orbem perpetuò movetur; omniumque animalium *ex ovo* genesis. Quorum magnalium utrumque felicissimus ille Naturæ interpres, non ex alienis observationibus, non è *Democriti* puteo, sed ex intimis ipsiusmet Naturæ adytis per extispicium sibi reclusis, omnium mortalium primus eruit, mundoque candidè propalavit, ad tantorum arcanorum detectionem obstupescenti. O stupendam ingenii perspicaciam! O divinam Anatomiæ solertiam! Cæterum aliæ adhuc nobis prædicandæ supersunt summi hujus Viri laudes, ad negotium in quo nunc versamur, propiùs pertinentes. Adeo ad *munificentiam* & largitiones promptus & propensus fuit *Harveo nostro* animus, ut
 non

non satis existimans, doctrina se scriptisq; suis immortalibus universo Eruditorum orbi, imò universo etiam generi hominum sui sæculi benefecisse; incredibili arderet desiderio posteros aliter quoque in æternum juvandi. Cui tandem ut, pro facultatum suarum modulo, gratificaretur, curas & beneficentiam in inclytum isthoc *Collegium* prudentissimè convertit fixitque: certò præsciens, omnium quæ in istam Societatem collocaturus erat, beneficiorum fructus exinde per posteritatis seriem inoffenso cursu descensuros. Consilio itaque cum Collegarum præcipuis communicato, sumptoque ab Ædificiis exordio; ut laxiùs & pro dignitate sua habitaret Philosophia, ære suo, propriisque impensis, novum Senaculum, & magnificè extruendum, & eleganti supellectile instruendum curavit: altiusque productis parietibus spatiosam superimposuit Bibliothecam atque Musæum, exquisitissimis non hominum modò, sed etiam Naturæ operibus locupletatum. Quæ omnia, intra non multos ab munificentissimi Fundatoris excessu, fatali illo incendio, quo nobilissimum hoc universi orbis Emporium in cineres tam celeri ruina redactum fuit, ut una nox aut altera inter urbem maximam fluxerit & nullam, proh dolor! omnia perierunt. Idem indulgentissimus tam Artis nostræ, quàm omnium ejus Orgiis ritè initiatorum parens, quam jam summa senectute confectus, diem quo sibi hinc ad meliora migrandum, appropinquare sentiret; ut majora adhuc paternæ in nos charitatis post se relinqueret indicia, quicquid ædium atque fundorum à patre sibi jure hæreditario obvenerat, id totum ultima voluntate Collegio dedit, & in perpetuum possidendum consignavit; verbo dicam, nos hæredes ex esse constituit.

stituit. O stupendam, & vel generosissimis Regibus
invidendam largitatem!

*Quo carmine dignam,
Quo satis ore tuis famam virtutibus addam?*

Certè nullo: effecisti enim, *Harvæe*, ut nos vivere-
mus & moreremur ingrati; & candori animæ tuæ
convenit, silentio ignoscere ab tuorum meritorum
excessu indicto.

Ab *Harvæo* itaque sermonem transfero ad ejus cùm
eruditionis, tum liberalitatis comparem, *HAMÆUM*,
quem alterum Collegii nostri & lumen & columnen
meritò agnoscimus suspicimusque. Excellentissimi
hujus Viri si omnigenam doctrinam, si eximiam hu-
manitatem, animumque aliorum æquè ac suis usibus
dicatum & addictum; si denique comitatem, aper-
tamque frontem, in amicis excipiendis, si prompti-
tudinem in juvandis, si fidelitatem & nudam planè
sinceritatem in colendis, si candorem in æstimandis,
pro merito prædicare quis sustineret; profectò is fru-
stra esset, ingenique vires, licet plusquam modicas,
incaustum fatigaret. Relicto igitur tam vasto argu-
mento, equidem paucis referam, quibus nos, quan-
tisque beneficiis *Hamæus* ὁ πᾶν ἡ ἐξοχώτατος ἀνδρῶν
devinxerit. Ante annos quinquaginta & sex circiter
(*animus meminisse horret, luctuque refugit*) quum per
viscera Britanniae nostrae sæviebat belli civilis incen-
dium; quum omnia hac in urbe, imò per totam in-
sulam mœsta erant, turbida, confusa, perduellium-
que furori atque rapinae subjecta; quumque miseria-
rum nostrarum complemento nihil deesse videbatur,
præter omnimodam gentis universæ deletionem: in
C hoc

hoc luctuoso Reip. statu, inquam, contigit fortè, ut alia inter loca sacris usibus dedicata, nostri quoque *Collegii* ædes cum fundis auctiori hastæ exponerentur: Hujus verò rei indignatione vehementer perculsus *Hamæus*, mox ingenti pecuniæ suæ summâ in ædium redemptionem erogatâ, eas à sacrilega cujusdam impostoris usurpatione vindicatas gratis restituit Collegio; idque antequàm cuivis Collegarum suum ea de re consilium patefecisset; haud ignarus, *præsentibus maximè nec diu libratis beneficiis candidæ liberalitatis genium inesse*. Quo sanè beneficio nil Collegio gratius, nil opportunius obtigit unquam. Sed ulterius adhuc Vindicis nostri munificentia processit. Quippe beatissimus senex haud exiguam magnifici hujus *Ædificii* deinde exstructi partem curavit suis impensis adornandam; annuos *Societatis* proventus plurimùm auxit; & cum jam instare sibi extrema sentiret, libros suos, maxima pro parte, Bibliothecæ heic augendæ testamento legavit. En illustrissimum benignitatis exemplum vobis, qui divitiarum affluentia floretis imitandum. Tu verò felix, *Hamæe*, qui posteris illud proponendo, nomen tibi comparasti, quod nulla vetustas obruet, nulla unquam obscurabit oblivio.

Hîc piaculare scelus foret, inhonoratum præterire ingens illud utriusque fortunæ exemplar, CAROLUM II. Augustissimum Britanniarum Monarcham; ejus prudentiæ visum fuit, omnia hujus Collegii jura, immunitatesque omnes & privilegia, ab regiis Antecessoribus suis concessa, suprema Auctoritate confirmare: quique exemplo suo terris ostendit, quanto melius clementia & amore imperium custodiat, quàm armis.

Neque

Neque oblivioni tradendus est Nobilissimus Illustrissimusque D. D. HENRICUS *Dornavariæ*, vulgo *Dorcestriæ Marchio*: Vir magis doctrina, eximioque suo in philosophiam studio, quàm supremis purpuræ Britannicæ honoribus illustris. Qui ubi fœcundissimum ingenium, sicut aliis omnibus Scientiarum tanto fastigio dignarum generibus, ita & sacrae etiam Medicinæ arcanis ac mysteriis ad miraculum usque excoluisset; nil infra sublimem illam, qua inter primi ordinis Nobilitatem tantoperè eminebat, dignitatem esse reputans, nomen suum inter præcipuos artis nostræ Mystas censeret; in hujus Collegii Societatem cooptari voluit: ut gratiam & beneficium, cum ipse conferret, accepisse videretur; utque deinceps munera in nos *modestiùs*, & tanquam jure consortionis conferret. Qua utique generosa sui demissione, nihil de proprio detraxit splendore, singulis autem Collegarum honoris quamplurimum adjecit. In familiam se nostram inseruit, ut eam ad altiore auctoritatis pariter ac existimationis gradum eveheret; utque exemplo suo demonstraret, *Quàm gloriosa res sit Nobilitas Musarum conjugio illustrata*. Eodemque tempore quo receptus fuit *Socius*, ne quid inesset vacuitatis in *Musæi Harveani* pluteis, eos quamplurimis cùm veterum, tum recentiorum Scriptorum optimæ notæ voluminibus, magno sumptu suo complendos curavit. Quem, eheu! thesaurum, unà cum ipso Musæo, aliisque omnibus Collegii ædificiis, luctuosissima illa, quam modò deflebam, conflagratio Londinensis horrendo flammaram diluvio absorpsit. Munere veruntamen isto hic Medicorum Nobilissimus, Nobiliumque Eruditissimus, æternitatem famæ consecutus est.

Idem Heros, ab exilio terreno in patriam cœlestem revocatus, unicam filiam reliquit sibi superstitem. Dominam dico GRATIAM PIERPONT, Heroïnâ, cùm paternæ liberalitatis, tum immensarum divitiarum hæredem: quæ ut vita defuncti patris voluntatem ultimam religiosè exequeretur, ingentem, quem in sua is *Bibliotheca* reposuerat, selectissimorum librorum thesaurum nostro huic *Collegio* ingenuè donavit. Donum quidem vel ipsis Regibus invidendum, multisque aureorum millibus æstimatum: sed si respectus ad sublimem seu dignitatem, seu generositatem largitoris habeatur, prorsus inæstimabile: idemque spero equidem ad serissimos usque posteros his in ædibus mansurum, & *patris* omnigenæ scientiæ, & *filie* rarissimi erga literarum cultores amoris monumentum.

Mecænatum nostrorum qui mortalitatem pridem exuerunt, agmen claudit opulentissimus Dominus JOHANNES CUTLERUS, Baronetti, *Equitisque Aurati* dignitate à serenissimo Regum dignissimè insignitus; & (quod multo magis honorificum est) magnifici hujus, in quo nunc tam commodè, tam decorè confedemus, *Theatri Anatomici* fundator. Vir quidem maximis fortunæ muneribus affluens, sed plus Virtuti semper tribuens, quàm divitiis: quas non in superflua instrumenta luxuriæ, non in præpetibus alis fugientium voluptatum lenocinia; sed in æternum duratura patriæ ornamenta, nobilissimosque Reip. literariæ usus profundere amabat. Et laus ista etiam post fata eum sequitur, neminem munificentiae virtutem, aut *modestiùs*, aut *feliciùs* unquam exercuisse. Hujus rei en vobis exemplo se offert nobilissimum hoc totius Europæ *Theatrum Anatomicum*;

anatomicum; cujus sumptuosa constructione, simul aliorum omnium salutem, simul suo honori sapientissimè prospexit. Feret enim (auguror) multam ætatem hæc fabrica, & gloriæ plenum Autorem deducet ad posteros. Atque is demum verus est honos, quem ii soli acquirunt, qui benefaciendo nomen decusque sic adipiscuntur, ut nemo unquam sine ardore, tacitoque sensu gratitudinis meminisse illorum possit.

Enumeratis jam tandem, ut per festinationem licuit, nominibus eorum ex *Fantoribus nostris*, qui ex procellis & tempestatibus humanæ vitæ, in felicitatis æternæ portum jam appulere; sequitur, ut hodie viventium quoque gratiam ac Μεγαλοπρέπειαν ea qua decet animi devotione recognoscamus. Hi autem omnino duo sunt, qui in labantis jam tum Collegii tutamen & fulcimentum, suos quasi humeros strenuè apposuerunt. *Alter* est amplissimus illustrissimusque D. D. CAROLUS Comes Radnoræ, & à secretis Consiliis ANNÆ serenissimæ Britanniarum Reginae. Vir sicuti perantiqua generis nobilitate, supremisque purpuratorum honoribus; ita & virtutum tanto fastigio dignarum comitatu insignitus. *Alter* item ab ipsamet natura, faventiumque natiuitati ejus astrorum influxu, ad magnæ fortunæ cultum formatus: cui EDMUNDUS BOULTERUS nomini est, quique sociatâ cum Comite largitate nos æquè obstrinxit. Ambo laudati modò *Cutleri*, qui Theatrum hoc Anatomicum nobis gratuitò extruxit, hæredes meritissimi: ac veluti uno heroicæ generositatis spiritu animati, simul Theatri Cutleriani defecrationi tempestivè obviam euntes, simul sodalitiî hujus futuræ revirescentiæ ac prosperitati consulentes: ex ingenti pecuniarum summa ipsis à nobis debita, plusquam quatuor millia libra-

librarum Sterlingarum liberè remittendo, impendentem capitibus nostris ruinam intercepere. Quo fanè lytro nil Collegio felicius, opportunius nil unquam obvenit: nec his qui sic servarunt, minus debetur honoris & gloriæ, quàm si illud primitùs condidissent. O animos divinæ cùm benignitatis, tum providentiæ æmulos! O lætam rerum nostrarum catastrophem! O immensa bonitas, qua non *ingrati* videamur, sed *oppressi*! Quod solum nostræ opis est, huic Mecænatum pari gratias agimus, verùm ita ut apud Deum facimus, *sentiendo* copiosius quàm *loquendo*.

Et nunc tandem penso meo ac munere utcunq; peracto, superest tantùm ut censuræ severitatem officiosè deprecer. Oro itaq; atq; per amicitiae sacra, per jura consortii obtestor vos, *Collegæ amantissimi*, ne mihi culpæ sit Benefactores tam laude dignos tam indignè laudasse: in quorum encomiis honestius duxi me infacundum & rudem præstare, quàm Præsidum optimi mandatis immorigerum esse. Te denique, *Præstantissime Præses*, submissè, debitaque cum reverentia obsecro, ut pro innata genio tuo lenitate, pro singulari morum suavitate, qua omnes demereris, ingenioli mei senii incommodis, ac inclementia fortunæ jam haud parum retusi, delictis sit tua facilitas aliquid præsidii. Optoq; ut auspiciis tuis, prudentiq; moderamine, ac exerta in refractarios auctoritate, vulnera per seditiosos dudum jam *Collegio* inflicta, breviq; in gangrænam degeneratura, maturè coalescant, consolidentur, sanentur: idq; in DEI ter Opt. Max. gloriam, Reip. utilitatem, Artium nobilissimæ reflorescentiam, impostorum qui esse se Medicos falsò venditant coercionem, tuiq; nominis immortalitatem.

F I N I S.

BOOKS Printed for Sam. Smith and Benj.
Walford at the Prince's Arms in St. Paul's
Church-yard.

JO. Raii Historia Plantarum, Species hætenus editas aliasque insuper
multas noviter inventas & descriptas complectens, Tomi duo. *Fol.*
1686.

—— Eiusdem Tomus tertius, qui est Supplementum duorum præce-
dentium; cum accessionibus *Camelli & Tournefortii*, 1704.

—— Synopsis Methodica Stirp. Britann. in qua tum Notæ Generum
characteristicæ traduntur, tum Species singulæ breviter describuntur, &c.
1690.

—— Stirpium Europ. extra Britannias nascentium Sylloge. 1694.

—— Synopsis Methodica Animalium quadrupedum & Serpentine ge-
neris. 1693.

—— Methodus Insectorum; seu Insecta in Methodum aliqualem di-
gesta. 8°. 1705.

—— Methodus Plantarum emendata & aucta. Accedit etiam huic se-
cundæ Editioni, Methodus Graminum, Juncorum & Cyperorum specia-
lis. *Amst.* 1703. 8°.

Praxeos Mayernianæ in Morbis internis præcipuè gravioribus & Chro-
nicis Syntagma. — Eiusdem Syntagma alterum. 1. De Febribus.
2. De Morbis Externis. 3. De Arthritide. 4. De Lue Venerea.
2 Vol. 8°.

D. R. Morton de Morbis Universalibus Acutis, Vol. I. 8°.

—— Id. de Febribus inflammatoriis, & de Variolis, &c. Vol. 2. 8°.

—— Phthisiologia, or, *Treatise of Consumptions.* Engl. 8°.

Gualt. Charleton M. D. Exercitationes de Oeconomia Animali, novis
in Medicina Hypothesibus Superstructa & Mechanicè explicata. 1681.
in 12°.

—— Eiusdem Exercitationes de Differentiis & Nominibus Animalium,
quibus accedunt Mantissa Anatomica & quædam de variis Fossilium
generibus. Deque Differentiis & Nominibus Colorum; Novis Iconibus
ornata Oxoniæ. *Fol.*

Pharmacopœiæ Colleg. Reg. Londini Remedia omnia succinctè de-
scripta. Edit. 3. Annot. 1699. per J. Shipton in 12°.

Pharmacopœia Bateana. Qua nongenta circiter Pharmaca, pleraque
omnia è praxi Georgii Batei Regi Carolo Secundo Medici Primarii ex-
cerpta, ordine Alphabetico concisè exhibentur cum viribus & dosibus
annexis. Huic accesserunt Arcana Goddardiana item Orthotonia Medi-
eorum Observata; & Tabula Posologica dosibus Pharmacorum accom-
modata cum Indice morborum curationum, &c. Cura J. S. Pharma-
copœi Lond. Editio tertia cum Appendice per Tho. Fuller, M. D. 12°.
1700.

Pharmacopœia Extemporanea, five Præscriptorum Sylloge, in qua
Remediorum elegantium & efficacium Paradigmata ad omnes ferè me-
dendi Intentiones accommodata candidè proponuntur; unà cum viribus
operandi

operandi ratione Dosibus & Indicibus annexis. Per *Tho. Fuller*, M. D. Editio tertia, aucta & emendata. 1705.

Medicamentorum *Εὐπερίστων* Thesaurus, succinctè comprehendens ad omnes ferè totius Microcosmi morbos. Experta necnon specifica Remedia ex celeberrimis tam Veterum quam Neotericorum, scriptis excerpta, ordineque alphabetico digesta. Opera & Cura *Johannis Cruso* Pharmacop. 12°. 1701.

S. Dale Pharmacologia seu Manuduclio ad Materiam medicam. 12°.

——— Ejusdem Pars secunda. 12°.

D. Sydenhami processus integri in morbis ferè omnibus curandis nec non de phthisi Tractatulo. 12°. Edit. 3. 1705.

M. Lister. Exercitat. octo Medicinales. 1. De Hydrope. 2. De Diabete. 3. De Hydrophobiâ. 4. De Lue Venerea. 5. De Scorbuto. 6. De Arthritide. 7. De Calculo humano. 8. De Variolis. 12°.

——— *Sanctorii* *Sanctorii* de Statica Medicina Aphorismorum Sectiones 7 cum Commentario. 12°. Lond. 1701.

The Anatomy of Humane Bodies; with Figures drawn after the Life, by some of the best Masters of *Europe*, and curiously engraven in 114 Copper Plates, illustrated with large Explications containing many new Discoveries and Chirurgical Observations. To which is added, An Introduction explaining the Animal Oeconomy: with a copious *Index*. By *William Comper*. Oxford, Printed at the Theatre on large Imperial Paper, in Folio. 1698.

The Anatomy of Humane Bodies Epitomized; wherein all the Parts of Man's Body, with their Actions and Uses, are succinctly described, according to the newest Doctrine of the most accurate and learned modern Anatomists. The sixth Edition. Corrected and Improved, both in the Discourse and Figures, by *Tho. Gibson*, M. D. in 8°.

The Anatomy of the Brain, containing its Mechanism and Physiology; with Sculptures. By Dr. *H. Ridley*. 8°.

Medicinal Experiments; Or a Collection of choice and safe Remedies, for the most part simple, and easily prepared; very useful in Families, and fitted for the use of Country People. By the honourable *R. Boyle* Esq; in three Parts, containing above 500 choice Receipts. The fourth Edition, enlarged with a Supplement. 12°. 1703.

The natural History of Chalybeate and purging Waters of *England*, with their particular Essays and Uses. By *B. Allen*. 8°.

A short Answer to a late Book, entitled *Tentamen Medicinale*. 8°. 1705.

Opticks; or a Treatise of the Reflexions, Refractions, Inflexions, and Colours of Light. Also two Treatises of the Species and Magnitude of Curvilinear Figures. By Sir *Is. Newton*, P. R. S. 4°. 1704.

The Posthumous Works of Dr. *Robert Hooke*; containing his *Cutlerian* Lectures, and other Discourses, read before the *Royal Society*. Illustrated with Sculptures; with the Author's Life, published by *Richard Waller* R. S. S. Fol.

The Philosophical Transactions; giving some Account of the present Undertakings, Studies, and Labours of the Ingenious in many considerable Parts of the World, continu'd and publish'd by Dr. *Hans Sloane*, Secretary to the *Royal Society*. 4°.



